Q. D. B. V.

DISPUTATIO POLITICA
DE
LEGIBUS FUNDAMENTALIBUS;

In qvà defendendà,

PRÆSIDE

VIRO PLURIMUM REVERENDO, AMPLISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO,

DN. MICHAELE WENDELERO,

SS. Theol. D. ejusdemq; P.P. Extraordinario, & Philos. Moral. Ordinario famigeratissimo, Præceptore & Fautore suo obseqvioso cultu devenerando,

Die IV. Martii in Audit. Majori,

publicè ingenii periculum faciet

JOHANNES GEORGIUS PFLUG

Eqves Misnicus

A. & R.

BIBLIOTHECA ...

WITTEBERGÆ,

Typis FRIEDRICI WILHELMI FINCELII, Anno M DC LXV.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
DOMINO,

DN. JOHANNI GEORGIO II.

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM DUCI, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCHALLO ET ELECTORI OCTOVIRO, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ ET UTRIUSQVE LUSATIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI, COMITI DE MARGA ET RAVENSBERG, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN,

PRINCIPI OPTIMO, MAXIMO, PIO, FELICI, INCLYTO,
LITE-

LITERARUM ATLANTI ET NUTRITIO BENIGNISSIMO, PRIMUM HUNC STUDIORUM SUORUM ACADEMICORUM FOETUM,

IN SUBJECTISSIMI CULTûS ET DURATURÆ SEMPER DEVOTIONIS FIDEM,

PIA OBLATIONE

SACRUM ESSE CUPIT

SERENITATI EJUS

AD HUMILLIMA OBSEQVIA PARATISSIMUS

Johannes Georgius Pflug.

§. I.



Aud præter rem cenſuerunt nonnulli, omnem mali præſumtionem contra Principes & Imperantes exulare debere in animis ſubditorum, neq; fas eſſe his, ni in ſacrilegii crimen incidere velint, actiones illorum, præſertim futuras ad examen ſui revocare judicii. Solum qvippe DEUM eſſe Principalium actionum moderatorem ac arbitrum, ſubditis obſeqvii gloriam relictam hactenus, ut ſibi religioni ducere debeant, abditos Principum ſenſus & ſi qvid occultiùs parant, exqvirere. TACITUS L. VI. Annal. Nihilominus tamen cùm in maximâ illa fortunâ non minor ſit licentia, experimento compertum eſt, eos, qvi plus in Civitate poſſunt, qvamvis boni atq; clementes, tamen, qvia malis eſſe licet, utplurimum formidari. SALUTIUS de Republicâ ordinandâ. Addo & hoc, qvòd plurimorum animos ſollicitos reddiderit in Hiſtoriis notatum Neronis qvinqvennium & jam olim licet peractus Galbæ Principatus, qvi, ſi TACITO habenda fides, major privato viſus, dum privatus erat & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet, libr. I. Hiſtor. Factum proinde ut ſubditi diritate tot exemplorum territi, circumſpectiùs agere caverequ cœperint, ne licentiâ Principum in immenſum aucta libertas ſua, qva nil mortalibus unqvam exſtitit carius, documento foret & præjudicio. Qvo bono ut eò ſecuriùs poterentur, cum Imperaturis ſibi certis agere ſvevere Conventionibus, ad qvas hi ſe obligarent jurato etiam, qvò dictis major ſit fides & ne ſacramenti religione innexi, reſiliendi ab iis licentiam temerè arriperent.

 II. Hi-

II. Hisce verò, qvas diximus, Conventionibus plausibile neq; rei omninò disconveniens legum fundamentalium nomẽ indidere Politici. Etsi enim pacta veriùs vocitentur, ob datam acceptamq; utrinq; fidem; nihilominus tamen cum iisdem, postqvam in nudis mutui consensûs terminis stetére, promulgatio superveniat, fit, ut hoc adminiculo ultimum qvasi complementum & aliqvod legi analogon accipiant. Cùm enim non civili ratione, ut dictamen aliqvod jussumq; superioris, sed naturali modo vigore initæ Conventionis vim obligatoriam nanciscantur, certè propria & genuina legum appellatio iis adoptari, aut, qvod de legibus formaliter prædicatur, ad eas transferri haud potest. Neq; nobis negotium facessit, qvòd ejusmodi Conventiones â Populo Principi proponantur, illum verò, ceu constituens, hoc tanqvam constituto superiorem esse, nonnulli contendant. Nimirum fons hujus erroris indè profluxit, qvòd Politicorum qvidã Majestatem sibi duplicem finxerint, Realem unam, alteram Personalem; Realemq; dixerint inhærere Reipublicæ perpetuò, subjectumq; esse harum legum fundamentalium; Personalem verò collatam esse in personam Imperantis, cumq; eâdem expirare. Cæterum qvid alat mõstri hæc Majestatis divisio, qvantumq; involvat contradictionis, ante nos expedivere alii, qvorum scrinia non compilamus. Unum ex omnibus laudàsse sufficiat doctissimum ARNISÆUM, qvi commentum hoc de populi in Principem superioritate validissimis argumentis dextrè confutavit lib. 1. de Majestat. c. 3. Cui & succenturiatur Pl. Rev. & Excellentissimus Dominus PRÆSES Pract. Philos. lib. 2. Sect. 2. qvæst. 1. Restat igitur in laxiori & minus proprio significatu legum Appellationem hisce Conventionibus tribui: qvam tamen, usum magis popularem secuti, iisdem relinqvendam existimavimus.

III. Le-

III. Leges verò fundamentales qvi meruerint appellari, hæ ipsæ Conventiones, aut undè hanc appellationem traxerint, judicare in proclivi est. Nimirum cùm hisce pactionibus, tanqvam basi ac fundamento, præsens nitatur Reipublicæ structura, ita ut illius statûs demtis hisce aut aliud accipiat schema, aut saltem circa regiminis modum qvoad strictiorem & laxiorem Imperantis potestatem immutetur, qvòd speciosius nomen illustriusvè iis potuisset imponi? Proindeq; à diversis modo dominandi leges modò jura regni & Reipublicæ aliisq; rei excellentiam præ se ferentibus titulis appellantur. Eleganter, sed nimis magnificè, de Legibus fundamentalibus sentiens REINKINGIUS *de regim. Secul. & Eccles. libr.* 1. *d.* 2. *c.* 12. *n.* 16. hisce, tanqvam [illegible]tenâ & Spiritu qvasi vitali, Reipublicæ nervos co[illegible]lemq; Principem solvere idem esse, ac reg[illegible]nvellere, caput à membris avellere, & imperiu[illegible]undare. Non enim illicò, sublatis legibus fu[illegible]is, tota collabitur Respublica, aut, si Prince[illegible]atur, Imperio extrema adstruitur pernic[illegible]is velim affingi errorem, qvi multos hacte[illegible], qvemq; jamdudum, ceu intolerabilem, [illegible]*usius polit. c.* 29. *n.* 49., nullam scilicet Civi[illegible]publicam sine hisce legibus fundamentalib[illegible] osse. Regna enim, bello parta, (si qvid licea[illegible]iementia victoris qvandoq; de jure suo ren[illegible]mus) ita sese habent, ut in iis victor victis ad [illegible]n imperet, cùm secundum illud Ariovisti [illegible] de bello Gallico, jus belli ut sit, qvi vicisse[illegible]ssent, qvemadmodum vellent, impera[illegible]gimus Imperia illa Despotica Turcarum, Ta[illegible]inensium &c. qvæ maximam partem has imperandi conditiones abhorrent, utpote in qvibus arbitria

bitria

bitria Principum pro legibus sunt, libidoq; qvidvis, ut voluntas, suggerit, statuendi, hisce repagulis cohiberi se non patitur.

IV. Anteqvam autem arcem rei ingrediamur, removemus ab instituto nostro DEI & naturæ leges, qvibus Princeps tametsi illimitatam habeat potestatem, & absolutissimo jure imperet, omninò subest, eò qvód illarum ratione respectus Principis tollatur penitus, sola remaneat hominis conditio. Appositè in hanc rem SYMMACHUS PAPA: *Non licet*, inqvit, *Imperatori vel cuiqvam pietatem custodienti aliqvid contra divina mandata, nec qvicqvam qvod Evangelicis, Propheticis & Apostolicis regulis obviet, agere*, c. 1. dist. 10. Qvò etiam qvadrat illud HORATII carm. lib. 3. od. 1.

Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipsos imperium est Jovis.

Divinis autem naturales leges adjunximus, eò qvòd cum his æqvè latè pateant, & non minus JC[to] o teste in L. 1. D. de just. & jur. diviná qvadam providentiá sint constitutæ. Hinc juris istud naturalis præceptum, neminem scilicet cũ alterius injuriâ locupletari debere, æqvè principem summosq; magistratus stringit, qvàm alium qvemlibet privatum, sicut & cætera, qvæ indè deducuntur, dictamina, sive positiva illa fuerint, sive negativa.

V. Explodimus hinc commenticiam illam potestatis plenitudinem, qvam multi tribuunt principi, in qvibus nostro hæc ævo ferè agmen ducit SALMASIUS defensione regiâ. Nec adversariam nobis constituit, qvod in sacris paginis legitur de jure Regis, *1. Sam. 8. v. 11.* & seqq. Agros vestros, vineas & oliveta vestra optima accipiet ac dabit servis suis servosq; vestros & ancillas vestras & juvenes vestros præstantissimos & asinos vestros accipiet adhibebitq; ad opus suum. His n. verbis non tàm jus & officium re-

um regis, qvàm usurpatio qvædam sub juris specie describitur. Qvæ mens est SCALIGERI lib.1.Epist.15.vel,qvod propiùs veritati accedit,locus ille Samueliticus non de potestate principis ordinariâ,sed extraordinariâ, intelligendus est,qvam in casu necessitatis & publicæ utilitatis vi supereminentis dominii in personas & bona subditorum exercet,ita tamen,ut ei,cui res ablata,vel, qvi damnum passus est,compensatio fiat ex communi: qvâ de re videri meretur GROTIUS de jur. pac. & bell.lib.2.c.14.n.7.Idem censendum existimamus de gentium jure, cùm id ex gentium, aut omnium, aut certè plurimarum voluntate vim obligandi acceperit.

VI. A legum qvoq; fundamentalium consortio abscindimus cautelas illas, qvibus nonnunqvam validioris alicujus in Republicâ potentia coercetur,qvalis illa Atheniensium, qvæ Ostracismo,seu temporali exilio,puniebat illos, qvorum autoritas ad invidiã usq; excreverat. Qvalis est illa, qvæ sub Augusto cœpit,vigore cujus interdicebatur Senatoribus,absq; indultu principali, Ægyptum ingredi,ne fame urgeret Italiam,qvisqvis eam Provinciam claustraq; terræ ac maris,levi licet præsidio,adversus ingentes exercitus insedisset. *TACITUS Annal.lib.11.* Has & alias innumeras rectiùs arcana Dominationis & Rerumpublicarum,qvàm leges fundamentales,vocaveris. Neq; confundendæ cum hisce Constitutiones illæ, publicum c[illegible] statum de Magistratuum nimirum Creati[illegible]atione,præmiorum & pœnarum ir[illegible] qvem tamen videtur erráße errorem R[illegible] *de regim. secul. & Eccles l.2. d.2.c.6.* ubi simpl[illegible] leges ex publico jure prodeuntes, fundamentales appellat. Præsupponimus enim, fundamenti loco,legum fundamentalium mutationem aliqvam Reipublicæ qvo-

qve innovationem secum trahere. Supradictæ verò Leges, jus publicum pro objecto unicè habentes, immutari possunt, salvo qvoad cætera Reipublicæ statu. Sunt præterea memoratæ leges non minùs ac cæteræ positivæ & administratoriæ arbitrio Principis obnoxiæ, ita ut illas ferre iterumq; abrogare, usu ferente, possit, cùm ista licentia circa leges fundamenteles, aut condendas, aut abolendas, ipsi sit præcisa. Fundamentum igitur erroris est, qvòd viderunt nonnulli, Leges Fundamentales ipsum publicum statum respicere: ex qvo inferre conati sunt, omne respiciens publicum, legis fundamentalis rationem habere.

VII. Perruptis igitur hisce obstaculis, reliqvum est, ut statuamus, qvod res est, datâ legum fundamentalium congruâ qvâdam definitione. Definitur autem lex fundamentalis, qvòd sit *communis Civitatis, aut regni, totius de constitutione Reipublicæ SPONSIO.* Sponsionem autem diximus legem fundamentalem: qvâ appellatione apud tersos bonosq; Autores omnis stipulatio promissioq; continetur, qvibuscunq; tandem verbis illa concepta sit. Cùm enim leges hæ à conventione mutuâ inter Magistratum & subditos initium accipiant, & nos convenientia rebus vocabula inqvirere studeamus, aptius certè nullum invenire potuimus. Qvæ enim de legibus, propriè dictis, prædicantur, tanqvam aliena à naturâ objecti nostri, datam definitionem ingredi non potuerunt. Lata enim Conventiones has legesq; positivas intercedit differentia; illa siqvidem à consensu & voluntate, ultrò citroq; interveniente, dependent, qvæ non facit legem, sed ad qvam constituendam aliud qvid superveniat necesse est, jussum nimirum Majestatis. Qvin imò hæ conventiones non civili ratione Legum Positivarum adinstar obligant, sed per modum mutuæ cujusdam conventionis. Definitionem,

aut

aut potiùs descriptionem DEMOSTHENIS & PAPINIANI JCti, qvibus & lex propriè dicta communis Reipublicæ Sponsio audit, *L. 1. & 2, D. de LL.* non moramur. Latè enim nimis evagatur illa & à proprietate definiti sui longissimè recedit.

VIII. Causa efficiens harum legum earundemq; Autor non unus aliqvis est unâve Reipublicæ pars; siqvidem hoc naturæ earum oppidò repugnaret. Conventiones enim cùm sint & pacta, fieri certè neqvit, ut unius, sive personæ, sive partis, placito absolvantur. Magistratum itaq; summum, conjunctim cum subditis, præprimis mixtis, in partem curarum & jurium Majestatis assumtis, has leges condere posse in propatulo est. Mixtorum subditorum præcipuam eò facio mentionem, non ob id, qvòd statuam, in mixtis tantùm Rebuspublicis, non in simplicibus qvoq; locum sibi vendicare has leges fundamentales; sed qvòd in illis potissimum vigeant, suamq; vim exerceant. Exemplo sit antiqva Spartanorum Respublica, qvæ ex diversis Rerumpublicarum formis concrevit. In hâc certè Reges & Senatus, secundum leges fundamentales, imperare coacti, sibi ultrò harum Præscriptum arrogare nil poterãt, adeò, ut omne regnum, in qvo secundum legum tenorem imperitatur, *ARISTOTELES 3. Polit. c. 10.* figuratè vocet Laconicum. Non dissimilis est Respublica Polonorum, qvæ dubiò procul mixta ex prædominante Aristocratiâ & diminutâ Monarchiâ coaluit: in qvâ itidem legibus fundamentalibus in tantum adstrictus est Rex, ut juret, etiam additâ clausulâ, integrum fore subditis, si unam harũ violaverit, â data sibi fide recedere, prout passim ex CROMERO de rebus Polonicis patet; qvi & libr. 22. notat, CASIMIRUM III. ægrè potuisse adduci, ut hoc juramentum præstaret, qvòd in illo totam regiam Majestatem periclitari cerneret.

 IX. Ger-

IX. Germania certè nostra uti liberatis, à multis abhinc seculis, fuit tenacissima: ita, TACITO *teste libr. de mor. German.*, Regum infinitam ac liberam potestatem nunqvam perpessa est. Qvin potiùs illos, qvos sibi electione sumserat Principes & Duces, autoritate magis svadendi, qvàm jubendi potestate Comitiis interfuisse, sæpiusq; si displicuerat sententia, fremitu aspernatos, idem gravissimus Autor citato loco asserit. c. 3. & 6. Qvam semel acceptam à majoribus libertatem nec hodiè sibi extorqveri patiuntur Germani, cumq; plurima Europæ regna succesione accipiant Reges; Germanorum Imperatores ad fastigium hujus dignitatis non nascendi sors, aut sangvinis conjunctio, sed libera Electorum suffragia provehunt. Horum tamen potentiæ non nimis laxant frena, qvos STATUS, vel Ordines, vnlgò vocant, neq; iisdem supremam circa Reipublicæ dispositionem permittunt arbitrium, sed & ipsi veniuut ad partes & Majestatem secum communicatam vocant. Nulla igitur est Respublica, in qvâ sanctior habeatur legum fundamentalium Autoritas, aut in qvâ illæ majori religione custodiantur, qvàm hæc nostra Germanica: qvod & agnovit, de Aureâ Bullâ differens, JAC. AUG. THUANUS *lib. 2. Historiar.* Sunt autem leges fundamentales Imperii nostri Romano-Germanici præcipuæ, qvæ in Aureâ Bulla, Constitutione Pacis religiosæ, Imperatorum Capitulationibus & nuperâ Transactione Pacis Monasteriensis & Osnabrugensis continentur.

X. Aurea Bulla undè nomen acceperit, pugnantibus Pnliticorum & Juris publici Doctorum opinionibus disqviritur. Nonnulli ab objecto eam denominatam existimant, qvòd res aureas, Sanctiones nimirum Imperii statum concernentes, contineat. Nonnulli à Sigillo Imperatoris, qvod vulgò Bullam vocant, propterea qvòd Carolus

IV. cùm eam anno 1356. Norimbergæ in Comitiis, adhibitis in consilium Imperii Proceribus, propalaret, & Bullam, seu sigillum aureum, eidem appendi fecerit, majoris fortè dignitatis & autoritatis causâ: qvod & verius existimamus. Qvicqvid tamen ejus sit, constat, Auream Bullam esse salutarem Imperii & Imperatoris sanctionem, leges ejusdem fundamentales continentem. Capitulationes verò inde nomen sortitæ sunt, qvòd iisdem certa capita ac conditiones de Republicâ Romanâ utiliter pro more majorum & secundum leges fundamentales administranda electo Imperatore proponantur, qvas, anteqvam confirmetur, se servaturum Jurisjurando promittit. *Vide* REINKING *de Reg. l. 1. c. 13. t. 9. h. l.*

XI. Constitutio pacis religiosæ lucem vidit, cùm omnia discordiis civilibus ex Religionis causâ natis infesta, Ferdinandus I. tunc temporis Rex Romanorum nomine fratris sui Caroli V. ad tranqvilliorem statum reduceret. Factum id in Comitiis Augustanis Anno 1555. optimiqve Imperatoris placitis divina favit clementia, ut hæc Pacificatio religiosa Sanctione Imperatoris & Imperii firmata in Legem Fundamentalem Reipublicæ nostræ Romano-Germanicæ transiret. Cautum verò prælaudatâ Pacis religiosæ constitutione, ut nemo Catholicorum, aut Evangelicorum, alterutrius Religionis prætextu nec in vitâ, nec in honore bonisvè prægravari debeat; sed ut utriusq; Religionis Socii omnis coactionis & violentiæ expertes publicâ Imperii protectione conscientiarumq; Libertate fruerentur. Vide Recessum Imperii de anno MDLV.

XII. Pontificii qvidem Scriptores, qvò magis Palladium hoc nobis eripiant, vi extortam esse hanc pacem religiosam, dein per Concilium Tridentinum sublatam, plenis clamitant buccis. Cæterùm assertum hoc qvàm fra-

gili nitatur fundamento, ipsa rei veritas Historicorumqve probatorum fides jamdudum evictum dedit, ut in re adeò luculentâ magnoperè laborandum non sit. Fidem suam hic imprimis nobis commendant SLEIDANUS *Comment. de statu Religion. libr. 24. & 25.* Hoc palmarium est, qvod ogganniunt nobis Adversarii, Carolum V. à Mauritio, Saxoniæ Electore, bello petitum, in hanc pacificationem ut consentiret, vi armatâ coactum fuisse, ea verò, qvæ vi metuq; geruntur, nullius esse momenti. Cæterum qvàm parum habeat veritatis hoc, istorum exemplorum gesta edocent, qvibus Caroli V. potentia adeò non imminuta fuit, ut potiùs adversus acceptas nonnullas clades validior semper magisq; tremenda extiterit. Taceo elogium Carolo V. ab ævi istius Scriptoribus, tùm præprimis à THUANO tributum, Carolum nimirum heroici omninò & infracti fuisse animi, ut peccare videatur in virtutes gloriosissimi Imperatoris, qvi meticulosi qvid de eo præsumere velit. Et posito, metu inductum fuisse Carolum V. allegatus tamen metus post tot annorum decursum multoties fuit purgatus, insecutâ nimirum Confirmatione laudatissimorum Successorum Maximiliani I. & II. Rudolphi II. & qvi hos in regimine exceperunt. Qvâ de re legendus *LIMNÆUS de jur. publ. Tom. 1. l. 1. c. 13.*

XIII. Deniq; qvod attinet nuperam Transactionem Pacis Monasteriensem & Osnabrugensem, animus meminisse horret turbarum & motuum, qvos nostra per triginta annos vidit ætas. Collisis nimirum inter se Germaniæ viribus Statibusq; Imperii in factiones scissis, haud multũ aberat à ruinâ dulcissima mater Germania; auxiliiq; malum, qvod exteræ qvoq; Nationes præprimis Galli & Sveci atq; adeò universus ferè Europæus orbis huic bello implicarentur. Sed in medio Matris furoe misertus patriæ

nostræ

nostræ DEUS Optimus Maximus desideratam hanc omnium votis clementissimè indulsit pacem, effecitq; ut partes, inter se diffidentes, positis armis, ad amicabilem transactionem & mutuam Concordiam redigerentur. Hujus transactionis capita nobis exhibet INSTRUMENTUM Pacis Osnabrugensis.

XIV. Nunc redeundum eò, undè nos narratio illorum, qvæ Imperii nostri statum tangunt, abduxerat. Dixeramus nimirum anteà non tantùm in mixtis, verùm & simplicibus Rebuspublicis pureqve Monarchicis locum sibi vendicare leges fundamentales, idqve, haud præter rationem, asseruisse nos arbitramur. Ad illas enim cùm per modum contractus, seu Conventionis se obliget summus princeps, non potest non iis teneri: præprimis cùm jùris naturalis sit, ea, qvæ mutuo consensu placuerunt, custodire, dicente *ULPIANO L. 1. D. de Pact.* Legum autem naturalium vinculis qvis Principem eximere velit? Et nõ omnes hæ conventiones, qvæ legum fundamentaliũ nomine veniunt, Regiam Majestatẽ absorbent; sed illæ tantùm, qvæ in jura majestatis involant, eaq; cũ ordinibus partiuntur. Sic Pacificatio religiosa citra dubium lex fundamentalis Imperii nostri est, qvam & Imperator sanctam intemeratamq; se servaturum jurejurando promittit. Illa tamen, nisi & alia forent, parum detraheret Imperatoriæ Majestati, & sic in similibus censendum existimamus. Nam si priùs statuendum esset, nulla inter cultiores moratioresqve populos daretur simplex Monarchia, sed illa in solo tantum barbarico, inter Turcas, Tartaros Æthiopasqve qværenda foret.

XV. Existimat qvidem CLAPMARIUS de arcanis Rerumpublicar. *libr. 5. c. 20.* non facile puram putam & simplicem Rempublicam reperiri; qvod si fortè nudè & sim-

ſimpliciter prolatum fuit, calculum noſtrum mereri neqvit. Potior apud nos eſt autoritas HUGONIS GROTII *de jur. Pac. & bell. libr. 1. c. 3. n. 16.* non deſinere, inqvientis ſummum eſſe imperium, etiamſi is, qvi imperaturus eſt, promittat aliqva ſubditis etiam talia, qvæ ad Imperii rationem pertineant. Non igitur omnia Imperia ſub conditione aliqvâ, aut certâ lege data, ſtatim proinde mixta exiſtunt, neq; omnia juramenta, qvæ Principes ad leges Reipublicæ obligant, jura qvoq; imminuunt Majeſtatis & ut TACITUS loqvitur, vim principatûs reſolvunt, ut bene nobiſcum concludit doctiſſimus BESOLDUS *1. Politic. c. 8. §. 5.* Conditiones enim illæ, qvæ utplurimùm Capitulationum tenor exhibet, ſummam Majeſtatem limitant, non tollunt, premunt, non opprimunt.

XVI. Apud Perſas certè, qvos velut cæteros Orientis populos LIVIUS genera hominum ſervituti nata, appellat, Rex velut terreſtre qvoddam Numen adorabatur, ejusqve perſona ſub ſpecie Majeſtatis procul ſubditorum oculis in ſeceſſu perpetuo latebat. JUSTINUS *lib. 1. Hiſt. c. 9.* Nihilominus tamen jurabat, cùm regnum adiret, & ad multorum obſervantiam erat obligatus, qvod & de Ægyptiorum regibus ex Plutarcho & Diodoro Siculo annotavit ſuprà laudatus GROTIUS cit. loc. Hebræorum regnum qvale qvidem tunc temporis erat, haud dubiè erat Monarchicum, prout id paſſim ex libris Samuelis Regum & Chronicorum apparet; Conventionibus tamen qvibusdam alligatam fuiſſe regiam Majeſtatem, diffiteri nemo poterit, cùm ſatis conſtet, non exiguam fuiſſe magni illius Synedrii poteſtatem, adeò ut judicia nonnulla absq; interventu Regis ſolùm exercuerit. Vid. CUNÆUS *de Republ. Hebræor. l. 1. c. 13.* Regis Galliarum ſummam poteſtatem nemo in dubium vocavit, præter HOTTOMANNUM, libro de Francio-Galliâ,

cujus

cujus tamen assertio nullus Politicorum huc usq; adstipulatus est. Ex adverso omnes communi consensu sinceram in regno Galliæ & nullo temperamento inqvinatam Monarchiam cum BODINO *l. 1. c. 10.* agnoscunt: Cum Rex in eodem omnia regalia sibi integra reservaverit, non concesserit nisi precaria & summæ suæ Jurisdictioni obnoxia. Nihilominus tamen si LIMNÆO habenda sit eadem fides, de jur. publ. *lib. 1. c. 12. n. 17.* anteqvam inauguretur in certa jurat capitula. Ut taceam legem Salicam qvam regni Gallici firmissimum fundamentum BODINUS appellat primo de *Republ. c. 8.* à rege aboleri & subverti non posse, qvi & *lib. 6. c. 5. p. 1149.* plures leges fundamentales regni Gallici recenset, Impræsentiarum allegâsse sufficiat hanc, qvod de Coronæ adunitis nihil aliendo disjungere possit Rex, Vid. *BESOLDus 1. Polit. c. 8. §. 5.*

XVII. Illud certè fatendum in arctiorem qvodammodò cogi gyrum & constringi magis Regis potestatem ubi per modum conventionis subditis suis qvædam publicum regimen concernentia pollicetur. Sed hoc pacto salvâ re ipsâ modus saltem habendi immutatur diversusqve constituitur. Ut probè monet *GROTIUS de jur. pac. & bell. lib. 1. c. 3. n. 16.* Conditio enim & modus qvalitates sunt ipsi rei extrinsecus accedentes qvæ licet illam afficiant & alterent, substantiam tamen ejus evertere neqveunt. Ingeniosum prorsus simile est LIMNÆI qvo prædictorum veritatem illustraturus utitur *libr. 1. de jur. publ. c. 12. n. 3.* qvemadmodum, inqvit, candela vitreæ inclusa capsulæ æqvè ac si extra eandem posita lumen spargit suum, & hoc modo conservatur ne ventis hinc inde exposita extingvatur aut diffluat: Ita Majestatis splendor circumstante, at non obstante capitulationis fabrica lucidus apparet, munitus tamen hâc ipsâ, ne favoniis adulationum ventis admissis

prona

pronâ licentia pereat& ſummam deniq; patiatur Eclipſin.

XIIX. Leges verò fundamentales aliæ concernunt religionem, aliæ Reipublicæ conſtitutionem & adminiſtrationem, ſive aliæ ſunt Eccleſiaſticæ aliæ Politicæ. In omni republicâ primum eſt curatio rerum divinarum ſacrorumq; *ARISTOTELES 6. Polit. c. 8.* ejusdemq; cuſtodiâ ſummi Magiſtratus nihil prius habeant, aut antiqvius, cum illa totius ſocietatis civilis ſit fundamentum, ſine qvo, aut certè ejus aliqvâ ſpecie nulla unqvam ſtetit respublica, prorſus ut veriſſima ſint qvæ habet SENECA in Thyeſte,

ubi non eſt pudor
nec cura juris ſanctitas, pietas, fides,
inſtabile regnum eſt.

Neq; nos adeò injurii ſumus in ſummas Majeſtates, ut poteſtatem circa ſacra qvoq; & religionē iisdem invideamus. Sunt n. illæ non tantùm ſecundæ, verùm & primæ tabulæ cuſtodes adeò ut diminui Majeſtatē per ademptionē juris hujus velut ex tripode dicat *ALBERICUS GENTILIS in diſp. de pot. reg. abſol.* ubi de Hiſpaniarum Galliarumq; regis poteſtate diſſerit. Agnovêre id ipſum paganiſmo imbuti principes, dum in ſuâ perſonâ & regiam poteſtatem & pontificalem dignitatem conjunctam voluerunt, prout hoc exempla Numæ Pompilii Cæſaris aliorumq; teſtantur. Qvin & planum hoc evadit ex inſcriptionibus illis luculentis, qvibus Cæſares Romani non tantùm Imperatorum, verùm & Pontificorum Maximorum titulis præfulſêre, qvem & morem ad Gratianum usqve Imperatorem, qvi edicto vetuit ſe Pontificem maximum appellari, perduràſſe notat *ZOSIMUS lib. 4.* Nihil dicam de Conciliis ab Imperatoribus Chriſtianis coactis moderatisq;, à Conſtantino ſcilicet, Theodoſiis, Martiano, Juſtiniano, Carolo M. Ottonibus &c. usq; dum ingraveſcens Ponti-

ficum

ficum superbia exclusis secularibus principibus hoc jus in se tantùm transcripsit.

XIX. Qvæ cùm ita sint eò nitendum præcipuè fasces in Republicâ tenenti, ut una in eâdem vigeat religio, & ut summi Numinis cultus qvà patet ejus Jurisdictio idem prorsus sit. Sicut enim nihil magis connectit animos subditorum, eosq; in unum coalescere facit, qvàm unitas Religionis: Ita ex adverso hæresi nihil ad seditiones ciendas interitumq; Reipulicæ procurandū efficacius. Verum enim verò cum hoc vix sperare liceat, præsertim in magnis Rebuspublicis qvas ob amplitudinem suam, citius dissensionum circa divina, cacoëthes invadit, condonandum aliqvid necessitati, qvàm nemo hactenus contranitendo superare potuit. Caveant igitur sibi Principes præcipuè qvos legum fundamentalium tenor eò adstringit ne insultent conscientiis civium suorum, certò persvasi nihil magis voluntarium esse qvam religionem omnesq; hactenus operam lusisse qvi tale qvid moliti fuerunt. Omnes enim ut ait *CICERO in Verrem Act. 6.* religione moventur & Deos patrios, qvos à majoribus acceperunt colendos sibi diligenter arbitrantur. Et dignum principe effatum Stephani Bathorei Polanorum Regis, *tria sibi reservasse DEUM, innuentis, ex nihilo aliqvid creare, futura nosse, & dominari conscientiis.* Et in Germaniâ nostrâ huic rei optimè provisum, sancita pacificatione religiosâ, qvā legem Imperii nostri fundamentalem firmissimumq; illius munimentum esse suprà diximus.

XX. Leges verò fundamentales, Politicum Statum concernentes, qvod spectat, variis istæ super Rebus conceptæ suntnec istas cum varii & infiniti propemodum sint casus circa regimen seculare obvenientes, brevi chartâ complecti licet. Præcipuè tamen istæ aut modum, perveniendi

veniendi ad supremum fastigium, respiciunt, qvatenus ille ad certam familiam, gentem, sexum aliasqve conditiones est restrictus: aut ipsam jam deferendi aut delati regiminis administrationem. Priorum censui adnumeranda famosa illa Aureæ Bullæ capitula, qvibus de potenti aliqvo eodemq; principe aut Comite ad Imperialis Majestatis culmen provehendo cavetur. Celebris qvoqve hoc nomine in Galliâ est suprà memorata Lex Salica, *cujus vigore le sceptre ne tombe jamais entre les mains des femmes*, h. e. *sceptrum nunqvam cadit in manus fœmininas.* De cujus Legis etymo cum non conveniat inter eruditos consulendus ante omnes est *ISACIUS PONTANUS lib. 2. orig. Francic. c. ult.* Illud certè constat, dictam legem etiamnum in Galliâ pro perpetuo regni istius firmamento haberi, semperq; intemeratam hactenus substitisse, licet superioribus seculis eam impugnaverint Angli, eo nimirum tempore qvo Carolus pulcher, sine prole masculâ, decedens, locum fecerat, Philippo Valesio qvem pares Franciæ elegerant, excluso Eduardo Anglo qvi in coronam Gallicam, ob id, qvòd esset Caroli sororis Isabellæ filius, jus aliqvod prætendebat, qvà de controversiâ deqve bello inter Gallos & Anglos mox insecuto, Videatur *FROSSARDUS*.

XXI. Circa administrationem ipsam regiminis potissimum sese vis legum fundamentalium exerit, præprimis in mixto temperatoq; Statu, ubi una pars, citra alteram jura invicem divisa, & qvæ alterutri parti reservata non sunt, exercere neqvit. Dividi enim jura Majestatis pluresq; Reipublicæ formas in unam mixtam coalescere posse contra BODINUM de Republ. *lib. 2. c. 1.* firmiter sentimus. Nolumus tamen hic modum gubernandi cum ipso reipublicæ statu confundi: & putamus cum Princeps

ex suo placito Senatum ex Proceribus conscribit & consensum exqvirit subditorum, item cùm acta sua non vult esse rata, nisi à senatu, aut ab alio qvodam cœtu approbentur, haud qvaqvam partitionem fieri Majestatis. Hoc pacto enim jura Majestatis non communicantur, & qvæ acta sic rescinduntur, intelligi debent rescindi regis ipsius Imperio, qvi eo modo sibi cavere voluit, ne qvid fallaciter & ut vulgò loqvuntur sub & obreptitiè impetratum pro verâ ipsius voluntate habeatur; ut eleganter docet GROTIUS *de jur. pac. & bell. lib. 1. c. 3. n. 18.* Portò & circa privilegia tùm meris tùm mixtis, qvos Ordines vocant, subditis competentia, vigor legum fundamentalium potissimum cerni potest, qvorum illi admodum tenaces sunt, adeò, ut sub auspiciis novi regiminis illas potius extensas, qvàm diminutas velint: Imò & si in minimo iis præjudicatum fuerit, protinus abjecto rectoris sui respectu, non rarò ad rebellandi tumultuandiq; libidinem prosiliant. Factum indè, ut haud præter rem *TRAJANus BOCCALINI* ex accidenti colligens immunitates, Prærogativas, privilegia, fontem rebellionum, semen Zizaniorum, lapidem scandali appellaverit.

XXII. Formam hisce legibus fundamentalibus tribuit qvòd plerumq; in publicis Comitiis sanciri solent, interveniente Procerum, vel totius populi, aut certè hujus delegatorum & imperantium consensu. Patet hoc sicubi consideraverimus, qvòd qvò plus defertur publicis comitiis, eò major qvoq; harum legum sit autoritas: & contrà, qvò rariùs publica comitia freqventantur, eò minùs qvoq; dictæ leges locum sibi vendicent. Testatur id Germania nostra & Polonorum regnum, in qvibus comitiis habendis nec finis propemodum, nec modus, omnibus majoris momenti negotiis in illa rejici solitis. Exad-

verso in Republicâ Romanâ licet olim comitiorum jura penes populum extiterint, principes tamen illa populo excluso sensim ad se traxere, solâ qvâdam illorum imagine Senatui relicta. *TACITUS 1. Annal. c. 7.* Undè cùm in iisdem omnia ad unius principis arbitrium revocabantur, eveniebat, ut hoc rerum statu non de legibus fundamentalibus aut principum potestate constringenda, sed potiùs amplianda agitaretur. In Galliâ qvoq; licet olim liber comitiorum usus viguerit; tamen ex qvo tempore stirps Hugonis Capeti rerum potita est, exolescere ille valdeq; opprimi cœpit, qvo de jam suo tempore conqvestus est prudentissimus rerum Gallicarum scriptor *PHILIPPUS COMINÆUS lib.* 3. commemor. Unde fit, ut hodiè minus freqventata diætarum solemnitate per exiguus (aliqvalem enim adhuc superesse arbitramur) legum fundamentalium in Galliâ sit usus.

XXIII. Huc qvoq; facit, qvòd legibus fundamentalibus sancitis in majorem cautelam & securitatem utplurimum juramentum â parte imperantium interponi soleat. Licet enim qvòd sint tales, Conventioni unicè imputandum sit, cui naturaliter qvivis, etiam ipse princeps stare tenetur. Et licet aliàs nudæ assertiones principum & promissiones etiam injuratæ juramentis æqvipolleant; lubrica tamen qvandoq; & horum fides & enata inde subditorum diffidentia jurandi necessitatem extorsisse videtur. Et tale juramentum immensam principis & imperantiū potentiam, ne licentiæ ventis se abripi patiantur, constringit & coarctat. Aliud dixerim si qvando princeps ad rectam saltem reipublicæ administrationem (veluti qvod nihil de coronæ unitis alienare velit) vel ad legum naturalium & divinarum observantiam juratò se obstringat, qvalia juramenta etiam in absolutissimo regmine locum inveniunt

& monarchico axiomati haud qvicqvam decerpunt. Sic Imperatorem Trajanum juráſſe *PLINius* nos edocet in luculentiſſimo ſuo Panegyrico, optimo Imperatori dicto. Imperator enim, inqvit & Cæſar Auguſtus pontIfex maximus ſtetit ad gremiū Conſulis ſeditq; conſul principe ante ſe ſtante & ſedit inturbatus, interritus & tanqvam ita fieri ſoleret. Qvin etiam ſedens præbuit jusjurandū & ille juravit, expreſſit, explanavitq; verba qvibus caput ſuum domū ſuam ſi ſcienter fefelliſſet, deorum iræ conſecraret.

XXIV. Cæterum qvemadmodum omnis conventio, inter qvoscunq; inita licet non ſemper jure civili Romanorū, at certè jure naturali & gentium obligationem primûm, dein actionē parit: ita & publicæ hæ conventiones qvas leges fundamentales diximus, non diſſimilem á prioribus ſortiuntur effectum. Porrò qvemadmodū à pactis conventis ſi una pars diſcedat, nec altera placita adimplere cogitur. Parili ratione ſi conclamata res ſit malumq;, omnem reſpuat medelam & ſubditis integrum fore arbitramur, datam imperantibus fidem convellere, aliudqve circumſpicere præſidiū etiam qvod in armis poſitum ſit. Ac licet aliàs á ſubditis principibus jure reſiſti non poſſit ex receptâ TACITI ſententiâ qvi bonos principes optandos, qvalescunq; non aliter ac ſterilitatem & nimios imbres cæteraq; naturæ mala, tolerandos ſvadet *lib.4.Hiſtor.*; id tamen ſi nudè & illimitatè accipiatur, cenſuram noſtrā ſubterfugere neqvit. Conſtat qvippè diverſas eſſe rerumpublicarum formas inq; nonnullis cum abſoluta eſſe poteſtate Imperantes; in nonnullis cum reſtrictiori paulò & certis conditionibus alligata: priori regiminis formæ accommodaverim ego iſtud TACITI monitum, ratus nec magiſtratibus inferioribus licere principi exorbitanti vim contrariam opponere. Nam illi reſpectu principis æqvè

ſub-

subditi sunt ac privati, licet respectu inferiorum publicâ qvâdam autoritate præfulgeant. Haud secus ac in Dialecticis species intermedia si genus respicias est species; si verò speciem infra positam, genus. Qvod autem concernit Rempublicam, in qvâ sub certis conditionibus & secundū leges fundamentales imperatur & in qva Rex habet partem imperii partem populus aut senatûs, aliud omninò sentiendum, ob conventionem illam qvæ subditis qvoq; jus qvæsitum tribuit efficitq; ut regi in partem non suam involanti vis justa opponi possit. GROTIUS *de jur. pac. & bell. l. 1. c. 4. n. 13.*

XXV. Non tamen promiscua licentia, cuilibet ex subditis, in principem aliósve Imperantes fidei datæ temeratores insurgere licet. Privatis enim jus armorū interdictum esse, CICERO testatur pro Milone, & edicto prohibitorio asseverant Impp. *in L unicâ C. ut armor. us. insc. princ.* ideoq; si qvid iniqvius qvàm deceret ab imperantibus patratum sit, divinæ committant ultioni; turbis & machinationibus, qvibus Reipublicæ qvies sollicitatur, prorsus abstineant. Ordines certè, qvos mixtos, alioqvin subditos vocari suprà diximus, jure optimo sibi potestatē vendicant exitiosos in publicum imperantiū conatus reprimendi, providendiq; ne qvid Respublica detrimenti capiat: qvod in antiqvissimâ Spartanorū Republicâ ab Ephoris aliqvoties factitatum legimus, qvorum tanta erat potestas, ut & Reges, qvi indignū qvid officio suo patraverant, non modò deponere, verùm & capitali supplicio (qvod Agidi & Pausaniæ contigit) afficere potuerint, teste PLUTARCHO, & NEPOTE *in vitâ Agesilai Agidis & Pausaniæ.* Non enim hi mero subditorū jure censendi, neq;, qvæ de Magistratibus propriè dictis aliàs dicuntur, his applicanda sunt, cum jurisdictionem precariam & pro lubitu revocabilem â principe non acceperint; sed & ipsi qvoq; partē Majestatis in

suâ

suâ personâ radicatam habeant. In puris etiam Monarchiis subditi pactionati, sive qvi certis conditionibus Imperium principis subière, eorundemq; nomine Ephori illos repræsentantes opponere se principi, contra fidem datam qvid machinanti, poterunt. In talibus enim regnis subditi cum Imperante tacitè pepigisse censentur, ut certo eventu ipsi resisti possit; qvo casu resistentiam in subditis non improbandam, docet GROTIUS, *de jur. p.ac. & bell. lib. 1. c. 4. n. 13.*

XXVI. Sed cautos hoc rerũ statu decet esse ordines, nec præcipites & cæco qvasi impetu ruere in defensionem jurium suorum; sed omnia priùs tentanda, qvàm ad extrema deveniatur, ne ipso morbo remedia sint periculosiora. In rem igitur fuerit salutemq; publicam, ut Ephori, seu primores Reipublicæ, conciliũ indicent, & generalem omnium Ordinum conventum cogant, inqve eodem facta tyrannica unius, sive plurium, pro modo regiminis examinanda & discutienda proponant: vel si Ephori nulli sint, ad hoc ipsum Judices & defensores publici â populo constituantur, BODINUS *de Republ. lib. 2. c. 5.* Si verò obfirmata sit imperantium malitia, ita ut horũ animi emolliri & ad mitiora consilia traduci neqveant, qvid vetabit, ea, qvæ & brutis animantibus jus naturale suggerit, exeqvi vimq; intentatam vi contraria repellere. Non improbandum ergò Belgarum factum qvod libertatem suam luculentissimis privilegiis (de qvibus vide *METERANUM lib. 14. fol. 574.*) subnixam, contra regum Hispanorum insultus, vim vi opponendo, masculè asseruerint.

XXVII. Visis jam legum fundamentalium consentaneis, nunc dissentanea qvoq; in medium adducenda sunt, in qvibus se nobis offerunt illarum præcipuè mutatio & abrogatio. Non disputabimus autem jam, utrum conducat, legem semel latam abolere, cùm ante nos dudum alii has occupaverint partes. Videat, cui volupe est, *BODINUM de Republ. lib. 4. c. 3.* Impræsentiarum qvod leges fundamentales concernit, castigandus est error eorũ, qvi has perpetuas volunt, imò ne mutari qvidem posse contendunt, cùm circa eas posterorum qvoq; vertatur præjudiciũ, iisq;

 in-

utplurimùm clausula, qvòd in perpetuū valituræ sint, subnectatur. Nimis enim frigidè sentiunt, qvorum animis hæc incessit opinio, vapulantq; CICERONI, qvi *lib.1. de legibus*, hanc maximam politicis & Rerumpublicarum Rectoribus subinde inculcat: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO. Unde nobis positum hoc pro indubitato est, posse qvandoq;, si usus Reipublicæ ferat, has leges fundamentales mutari & aboleri, adeò ut clausula, de iisdem nō mutandis, vel de valore illarum perpetuò intelligi semper debeat, rebus sic stantibus, & nisi utilitas Reipublicæ aliud exegerit. Posterorum hic res neqvaqvam agitur, sed præsentium; ideoq; si his expediat mutatio aliqva circa statum Reipublicæ, aut modū regiminis, non habebunt illi, de qvo conqveri possint, cum nullum incommodum sentiant.

XXIIX. Tenendum tamen, qvòd ad illas abolendas aut immutandas, non unius in Republicâ, sed & alterius partis consensus desideretur, eò qvòd illæ, sicut ab unius placitis non dependent, ita nec unius partis dissensu annihilari possint. Nihil enim magis naturale, qvàm unum qvodq; eodem vinculo dissolvi, qvo colligatum est. Facile igitur decidi potest agitata inter juris publici Doctores qvæstio, an Imperator Auream Bullam abrogare possit, ut tædiosum sit in re tàm expeditâ prolixitatem sectari. Et licet aliàs in conficiendis Reipublicæ negotiis votorū pluralitas vincat, & consensus majoris partis habeatur pro consensu omnium; id tamen in legibus fundamentalibus abolendis mutandisvé, in qvo singulorum præjudicium vertitur, affirmare veremur: præprimis in iis, qvæ religionis causam concernunt. Sicq; pax religiosa in in perio nostro votorum pluralitate tolli neqvit, cùm inibi universi, ut singuli, jus obtendere possint qvæsitum, monente *BESOLDO l. 1. politic. c. 2. n. 4.*

NOBILIS *arte* magis qvàm *Stemmate* clarus habetur,
Fortius at vinclum, studium si stemmate jungas.

Nobilissimo Dno. Respondenti & indolem generosam & studiorum assiduitatem publicè exserenti prosperrimor qvosvis successus precatur.

Werner-Theodorus Martini, J.U.D. P.P.
Consil. Elect. Sax. & Consil. Eccl. Adsess.

Ad Nobilissimum Respondentem, Fautorem, atq; Amicum honorandum.

NObilis es magnus, Regum de stemmate natus,
Qvos *Primislaum* progenuisse ferunt.

Omni-

Omnibus hunc ortum nobis Insignia monstrant,
Jactitat æternùm qvæ tua magna Domus.
Major at evades, qvia Musas promtus honoras,
Et discis, Reges qvæ didicere viri.
Indè gubernabis Regum de sangvine cretos;
Atqve iterum Regis nomen habere potes.

Michael Wendelerus, D. & P. P.

IN DISSERTATIONEM POLITICAM NOBILISSIMI DNI PFLUGII

EOa indomitis assvevit Persia sceptris
Incubuitq; Syris Regius ille tumor:
Nec dispar regni species fastusq;, propinqvâ
Qvâ Sol Æthiopas tingit aditq; face.
Scilicet Australi gens nata sub äere, duro
Barbara non renuit subdere colla jugo.
Hoc mirum, qvòd idem subiit Mavortia Roma
Fatum, & qvod potuit dememinisse sui.
Vernili obseqvio libertas cessit avita,
Succubuitq; uni totius orbis opus.
Ille suis pedibus veneranda repagula legum
Calcat, & arbitrio pervia cuncta suo:
Elingvis tumidos expectat Curia jussûs,
Et fora civili tincta cruore madent.
Nil moris prisci superest, invisa recedit
Virtus & summum, gloria magna, nefas.
Sed magè felici lustratur sidere tellus
Teutona, crudeli non moderata manu.
Non ea fastidit trabeas fascesq; supremos;
Ne tamen excedant, præcavet illa modum.
Monstrat id inpræsens generosi pagina PFLUGI,
Qvi mox Doctorum candida puncta feret.
Sic est, mens agilis tractat sibi congrua, vulgo
Qvisqviliæ tantùm & qvod triviale, placet.

Fautori & Contubernali suo
Imq; adpos.
Philippus Adolphus Schmid.


QUod fundamento caret, id durabile non est,
Mole ruit facili, quicquid & illuderit,

Sive domus fuerit, vel planta, vel arbor amica,
Sive etiam florens publica res fuerit.
Egregiè floret varius flos tempore verno,
Sed fundamento, dum caret, ipse perit
Sic licet egregiè res publica floreat, aiget,
Dum fundamentum corruit, atq; perit.
Sed qui labenti fulcrum substernit, is amplam
Deportat laudem, & vera columna cluet.
Tu nunc ostendis, quî publica statuminanda
Res sit, MI PFLUGI, res ea laudis erit.
Labentem Patriam firmato aliquando paratis
Consiliis, & tunc maximus Atlas eris.

Nobilissimo Dno. Respondenti ex animo sincero
& benevolo gratulor

Johannes Joachimus Reiboldt.

NOs nisi perversi facti, lex nulla fuisset,
Sanctio nec legis, pœna neç ulla foret;
At quia primus homo Jovæ prolapsus in iram
Non tantum nos lex obligat ipsa DEI,
Sed quoq; natura qvùm principis insuper urgent
Subjectos legum vincula dira nimis.
Nec princeps cunctis est legibus ipse solutus;
Ponit ei leges Jova potensq; φύσις.
Sæpius â populo restringitur illa potestas
Principis ut melius stet vigeatq; decor
Regni: ceu Pflugi, *generoso differis ore*
Sic porrò pergas, commoda multa feres.



In honorem Generosi Dn. Respondentis,
Consobrini sui honoratissimi, ab in
cunabilis usq; dilectissimi hæc gra-
tulabundâ adjecit mente.

Adamus Erdmann â Reiboldt.

